

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0784

0782

0788

0778

0793

0773

0833

0733


0883

0683

0283

Ende

Anfang



211

permittitur capellas erigere, sacrificare, et Missas legere? Dicendum, quod hoc idcirco factum est, ut ostenderetur, quod cultus veteris legis corporalis non erat Deo per se acceptus, ex opere operato, et ideo compescebatur, ne ubique offerrent, sed tantum ibi. Cultus autem novae legis, in cujus sacrificio spiritualis gratia continetur, est secundum se Deo acceptus, ex opere operato, et ex opere operante. Ideo multiplicatio ecclesiarum, altarium et sacrificiorum in nova lege acceptantur. etc.

(258A) Igitur Salomon quarto anno regni sui templum illud toto orbe celeberrimum aedificare coepit et VIII annis complevit, ut dicitur 2. Paralip. II. Aedificabatur autem hoc templum anno a mundi constitutione 4169, a nativitate autem Christi futura 1033, ab egressu filiorum Israel de Aegypto anno 1480. Erat autem templi illius longitudo cubitorum geometricorum LX, latitudo XX, altitudo CXX. Ejus intrinsecus totum laminis aureis inaurari fecit, et pavementum pretioso marmore strari. Altare quoque aeneum cubitorum XX longitudinis in eo fabricatum fuit. De hoc templo vide pulchra in Cusa de ... [?] l. 9. c. 4.

Vasa ad templi cultum necessaria ex auro pretiosissimo fuerunt confecta. Intulit praeterea Salomon aurum et argentum multum, quod David devoverat. Et peractis rite omnibus illud celeberrimo ritu Domino dedicavit, inferens in id arcam testamenti Domini, in qua duae tantum tabulae testamenti erant, et urnam habentem Manna, et virgam Aaron. Et deinceps solum licebat ibi sacrificare in hoc templo, quamvis populus longo post tempore sacrificaret in excelsis, de quo pluries reprehenduntur reges Jerusalem, quod stante templo excelsa non abstulerunt. Porro evolutis 442 annis a constructione templi videns Jeremias propheta, imminere finem templi, tulit ex eo arcam foederis, et transtulit eam trans Jordanem in vallem sub montem Abyrim, quae dicitur Galmoab, sicut dictum est fol. 243 B, et precibus eam absorberi fecit in petra, petram vero digito designans impressit Dei nomen tetragrammaton, et factum est sigillum in similitudine sculpturae, quae ferro

14*